

## Weichbild magdeburski w układzie śląsko-małopolskim.

### Wersja sandomierska

Rękopis Biblioteki Jagiellońskiej 4405, k. 97r–97v

Odczyt: Maciej Mikuła

Artykuł 50 [Gn. 51]

[50] De qualibet querimonia et testimonio, quod ad iudicium pervenerit.

Omnis querela et testimonia, que cum criminosis violenciis cum clamore ad iudicium, in facto manifesto deprehense et deducte fuerint, virum metseptimum<sup>a</sup> [s] protestari opportet circa ius {ius} pacis, exceptis vulneribus, que monomochalia non fuerint. Manifestum factum ibi esse dicitur, ubi vir captivatur cum furto aut spolio, deprehensus ad iudicium ducitur cum clamore. Insuper eciam manifestum factum ibi esse dicitur, ubi viro gladius vel cultellus, aut alia facta in sua manu deprehensa fuerint, cum qua pacem infregit, aut si in fuga facti deprehensus fuerit, et captivus ad iudicium cum clamore ductus fuerit. Hunc actor metseptimus<sup>b</sup> [/] vincere debet circa ius pacis. Et si factum manifestum cum viro ad iudicium <<sup>deductum c</sup>> fuerit, sicut est stuprum, obsidium, et irruencia domicilii, homicidium, furtum, spolium, tunc homo probare debet protestando metseptimus<sup>b</sup>. Si vir conqueritur de istis, extunc sua querimonia sic debet procedere: „Domine iudex, ego conqueror Deo et vobis, quod hic homo venit intra municipalia, et in me pacem violavit, et me stupravit et spoliavit in corpore et rebus et honore muliebri, de quo sufficiens habeo testimonium per eos, qui meum clamorem audierunt, et ostendere volo factum, ut iure debeo et requiro in sentencia diffinitiva, quomodo ipsum vincere debeam, ut michi proficiat in iure meo.” Extunc petat ille satisfacionem, si vult, quam sibi facere opportet, et dicat de facto se esse innocentem. Tunc tutor mulieris interroget in sentencia diffinitiva, si femina violenciam melius protestari poterit cum hiis, qui clamorem suum audierunt, quam ille possit evadere, cum ad iudicium sit deductus. Tunc diffinitur iure, [k. 97v] quod possit ipsum vincere possibilius cum hiis, qui suum clamorem audierunt, quam ipse evadere possit. Et si hoc protestabitur, ut iuris est, adversarius collum demeretur. Idem vero iudicium super irruenciam domicilii iudicatur.

<sup>a</sup> metvi<sup>im</sup>; <sup>b</sup> metvii<sup>us</sup>; <sup>c</sup> nadpisane przez komentatora

[hasła: skarga, przemoc, przestępstwo, sąd, gorący uczynek, samosiódem, przysięga, współrzysiężnik, pokój, rana godna pojedynku, kradzież, obwołanie, miecz, nóż, sztylet, ucieczka, pokój, zasadzka, gwałt, honor, gwar, zabezpieczenie, niewinność, uwolnienie od skargi, kara śmierci]